



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXV. In quibus firma pax cordis, & verus profectus consistit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

quid velit, & ad quem finem tendat eius intentio. Mihi igitur omnia committenda sunt: tu verò serua te in bona pace, & dimitte agitantem agitare, quantum voluerit. Veniet super eum, quidquid fecerit vel dixerit, quia me fallere non potest.

2. Non sit tibi curæ de magni nominis vmbra, non de multorum familiaritate, nec de priuata hominum dilectione. Ista enim generant distractiones, & magnas in corde obscuritates. Libenter loquerer tibi verbum meum, & abscondita reuelarem, si aduentum meum diligenter obseruares, & ostium cordis mihi aperires. Esto prouidus, & vigila in orationibus, & humilia te in omnibus.

C A P. XXV.

In quibus firma pax cordis, & verus profectus consistit.

FILI, ego locutus sum: Pacem Ioan. 14
relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent,

tinent, non omnes curant. Pax mea,
 cum humilibus & mansuetis corde.
 Pax tua erit, in multa patientia. Si me
 audieris, & vocem meam sequutus
 fueris, poteris multa pace frui. Quid
 igitur faciam? In omni re attende ti-
 bi, quid facias, & quid dicas: & om-
 nem intentionem tuam ad hoc dirige,
 vt mihi soli placeas, & extra me nihil
 cupias vel quæras. Sed & de aliorum
 dictis vel factis, nil temerè iudices:
 nec cum rebus, tibi non commissis, te
 implices; & poterit fieri, vt parum
 vel rarò turberis.

2 Numquam autem sentire ali-
 quam turbationem, nec aliquam pati
 cordis vel corporis molestiam, non
 est præsentis temporis, sed status eter-
 næ quietis. Non ergo æstimes te ve-
 ram pacem inuenisse, si nullam sense-
 ris grauitatem: nec tunc totum esse
 bonum, si neminem pateris aduersa-
 rium: nec hoc esse perfectum, si cun-
 cta fiant secundum tuum affectum.
 Neque tunc aliquid magni te reputes,
 aut specialiter dilectum existimes, si in
 magna fueris deuotione atque dulce-
 dine: quia in istis, non cognoscitur
 verus

verus amator virtutis : nec in istis, consistit profectus & perfectio hominis.

3 In quo ergo Domine? In offe-
rendo te ex toto corde tuo voluntati
diuinæ, non quærendo quæ tua sunt,
nec in paruo nec in magno, nec in
tempore, nec in æternitate : ita vt vna
æquali facie, in gratiarum actione
permaneas, inter prospera & contra-
ria, omnia æqua lance pensando. Si
fueris tam fortis & longanimus in
spe, vt subtracta interiori consolatio-
ne, etiam ad ampliora sustinenda cor
tuum præparaueris, nec te iustificaue-
ris, quasi hæc, tantaque pati non debe-
res: sed me in omnibus dispositioni-
bus iustificaueris, & sanctum lauda-
ueris: tunc in vera & recta via pacis
ambulas, & spes indubitata erit, quòd
rursus in iubilo faciem meam sis vi-
surus. Quòd si ad plenum tui ipsius
contemptum perueneris, scito quòd
tunc abundantia pacis perfruêris, se-
cundùm possibilitatem tui incolatus.

CAP.